

TRACTATUS VIII.

DE VIII PRAECEPTO

Non loqueris contra proximum tuum
falsum testimonium, » Exod. xx. 16.

S. Alf. lib. 3. H. A. tr. 11.

993. — Hoc praecepto prohibetur omnis iniuria, quae proximo *verbis* inferri potest, tam extra iudicium quam in iudicio. (Cfr. supra n. 408 et 565.) Porro, verbis proximo iniuria inferri potest per laesionem virtutis *veritatis* seu *veracitatis*, sive per defectum, id est per *mendacium*, sive per excessum, id est per *Violationem secreti*. (Cfr. supra n. 295. III.) Quamvis autem verbis iniuria inferri possit proximo circa quaevis eius bona, attamen bona mixta, scil. fama et honor, talis sunt naturae, ut circa ea solis verbis vel signis aequivalentibus iniuria inferatur. (Cfr. supra n. 650. 651.) Unde dicemus: 1º de mendacio, 2º de violatione secreti, 3º de laesione famae, 4º de laesione honoris seu contumelia.

CAPUT I.

M E N D A C I U M

Inquiremus: 1º de notione et malitia mendacii; 2º an liceat aliquando uti restrictione mentali.

Articulus I.

Notio et malitia mendacii.

994. — Notio. Mendacium est locutio contra mentem. — *Voluntas falsum enuntiandi* mendacii essentiam constituit; ideo, si quis falsum enuntiet credens esse verum, non proprie mentitur, sed tantum habet falsitatem materialem; quod enim praeter intentionem dicentis est, per accidens est; unde non dat speciem actui. Si quis vero voluntatem habeat falsum dicendi, licet sit verum quod dicit, revera mentitur; quia tunc actus voluntatis habet per se falsitatem, et per accidens veritatem. *Voluntas fallendi proximum*

pertinet ad perfectionem mendacii; quia deceptio alterius est finis mentientis et effectus mendacii. Ita S. Thomas 2. 2. *qu. 110. art. 1.*¹⁾

Nomine porro *locutionis* accipi potest omnis significatio, sive verbis fit sive nutibus: unde *simulatio* non est a mendacio immunis.

E contra, mendaciis accensenda non sunt dicta iocosa aperte falsa, quibus nullus decipitur; neque fabulae, parabolae, locutiones tropicae, ironiae, hyperbolicae, quae ut tales ab audientibus facile intelligi possunt.

995. — Divisio. Mendacium dividitur ratione finis intenti: 1^o in *iocosum*, quod causa delectationis propriae vel alienae profertur; 2^o in *officiosum*, quod causa utilitatis dicitur; 3^o in *perniciosum*, quo intenditur alterius nocumentum. (S. Thom. *loc. cit. art. 2.*)

Mendacium iuramento firmatum vocatur *periurium*, de quo in Tractatu II. actum est.

Duplex haberi potest mendacium perniciosum, prout alterius nocumentum intendi potest dupliciter, aut ex fine intrinseco aut ex fine extrinseco. Mendacium perniciosum erit ex fine intrinseco seu ex parte materiae, si falsum ex se natum est nocumentum inferre, ut si sit significatio falsi in doctrina religionis vel bonorum morum vel alieuius scientiae; mendacium erit perniciosum ex fine extrinseco, si falsum dicatur in quavis alia materia secundum se non nociva, sed cum intentione irrogandi iniuriam Deo vel proximo. Cfr. Billuart. *de Relig. Diss. 9. a. 1*; Cajetanum. in 2. 2. *qu. 110. a. 4.*²⁾

996. — Principia. I *Mendacium SEMPER est INTRINSECE malum*. Probatur: 1^o ex S. Scriptura; Prov. VIII. 5: « Verbum mendax iustus detestabitur; » Coloss. III. 9: « Nolite mentiri invicem. » 2^o Est communis sententia Patrum et Theologorum; imprimis S. Augustinus id fuse docet duobus libris, quorum alter est *De mendacio*, alter *Contra mendacium*: pariter S. Thomas 2. 2. *qu. 110. a. 3.* 3^o Ex ratione: est enim contra finem naturalem loquelae, quippe quae a natura instituta sit ad exprimenda cogitata sua; accedit, quod si mendacio alios decipere fas esset, ordo societatis in mutuo hominum commercio positus subverteretur.

II. *Mendacium SECUNDUM SE CONSIDERATUM*, prout abstrahit a tali vel tali materia vel fine, PER SE SOLUMmodo peccatum LEVE constituit. Ratio est quia eius inordinatio qua talis per se neminem graviter laedit. Hinc mendacium *iocosum* vel *officiosum* per se solummodo peccatum veniale est; per accidens tamen quandoque fieri potest peccatum grave ratione scandali aut damni secuti.

III. *Mendacium PROUT EST PERNICIOSUM*, peccatum mortale est EX GENERE SUO. Ratio est quia secundum se repugnat dilectioni Dei vel proximi;

¹⁾ Sunt qui putent voluntatem fallendi proximum esse elementum essentialis mendacii; vel etiam mendacium esse tantum in negatione veritatis *aliis debitae*; ubi veritas aliis non est debita (ut si adesset ius praevalens celandi veritatem), haberetur falsiloquium, non vero mendacium neque proinde peccatum. — Verum omnino standum videtur definitioni in textu propositae, quia doctrinae D. Thomae, definitioni traditionali atque conceptui etiam vulgari mendacii conformior est. Cfr. Waffelaert. *Diss. mor. sur la malice du mensonge; Gregorianum. 1920. p. 11. 278. N. K. S. 1925. p. 297. 1939. p. 167.* Distinctioni inter mendacium et falsiloquium favet Ledrus in *Period. 1943. p. 5.*

²⁾ De variis speciebus mendacii iniusti cfr. Umberg in *Period. 1943 p. 232-247.*

secundum se enim Deo vel proximo natum est iniuriam inferre, ideoque non solum opponitur virtuti veritatis, verum etiam virtuti fidei et religionis, relate ad Deum, vel virtuti iustitiae, relate ad proximum. Per accidens tamen fieri potest peccatum veniale, ob parvitatem materiae vel imperfectionem actus. Cfr. S. Thomas. *l. c. a. 4*; Billuart. *l. c.*

Verba S. Scripturae, quibus indicatur mendacium occidere animam, excludere e regno Dei, esse abominationem Deo, et similia, de solo mendacio pernicioso intelligenda sunt. (S. Thom. *loc. cit. art. 4. ad 1.*)

IV. Mendacium DAMNOSUM inducit obligationem REPARANDI DAMNUM proximo iniuste illatum. Constat ex dictis de damnificatione. Recole tradita n. 395.

Mendacia perniciosa imprimis committuntur in doctrina fidei et morum, in iudicio, in contractibus, et contra famam proximi.

Articulus II.

Liceitas restrictionis mentalis.¹⁾

Quamvis numquam liceat mendacium proferre, licet tamen aliquando, imo oportet, veritatem occultare; ideo quaeritur num fas sit eum ad finem uti restrictione mentali aut aequivocatione.

997. — Notio. *Restrictio mentalis* est, quando verba distrahuntur a propria significatione per aliquam restrictionem intus conceptam, intelligendo nempe aliquid quod voce non exprimitur; v. g. quando quis interrogatus respondeat: *nescio*, intelligens: *ad revelandum*. *Restrictio* autem alia *pure mentalis* est, quae nullo modo ab aliis percipi potest; alia *non pure mentalis*, seu *comprehensibilis*, quae ex adiunctis innotescere potest, confuse saltem, i. e. cum auditor arguere potest quod loquens intelligat intus aliud, quam propositio ex se significat.

Amphibologia seu *aequivocatio* est locutio ambigua, quae habet duplicem sensum; eum sensum animo accipit aequivocans, quem non intelliget auditor; v. g. si quis dicat se numquam comedisse rem illam, intelligens rem illam singularem, dum alii de tota specie intelligunt. *Aequivocatio* practice convenit cum restrictione non pure mentali. (*n. 151. 152. H. A. tr. 5. n. 15.*)

Nota praeter restrictionem mentalem circa *verborum* significationem, dari etiam posse *simulationem* seu restrictionem mentalem circa *factorum* significationem; quae erit *formalis* vel *materialis*, prout actio aut necessario aliud significat ac illud quod intus concipitur aut est ex adiunctis ambigua. *Formalis* cum restrictione pure mentali, *materialis* cum restrictione non pure mentali vel

¹⁾ Cfr. etiam Vermeersch in *Gregorianum* 1920. p. 424; *N. R. Th.* 1928. p. 50.

aequivocatione coincidit ideoque eadem principia quae pro his, etiam pro illis valent. (n. 171. S. Thomas. 2. 2. qu. 111. a. 1.)

998. — Principia. I. *Numquam licet uti restrictione PURE mentali.* Ratio est, quia, quando verba nihil habent, neque secundum se neque ex adiunctis, quo conceptum exterius manifestant, sunt conceptui dissona, et consequenter mendacia. Etenim, quantumvis verba mente restringantur, non corrigitur mendacium respectu proximi, sed solum respectu ipsius loquentis: sibi autem nemo mentitur, neque loquela destinata est ad significandum sibi, sed aliis: ergo haec mentalis restrictio sermonem externum non corrigit, qui quantum ad proximum semper manet mendacio affectus. (n. 151.)

Patet insuper duabus propositionibus damnatis ab Innoc. XI, quarum 26^a dicebat: « Si quis, vel solus vel coram aliis, sive interrogatus sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocumque alio fine, iuret se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid, quod non fecit, vel aliam viam ab ea in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur nec est periurus. » 27^a: « Causa iusta utendi his amphiboliis est, quoties id necessarium aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens et studiosa. »

II. Licitum est uti AMPHIBIOLOGIA, et restrictione NON PURE mentali, eamque iuramento firmare, ad occultandam veritatem: dummodo iusta de causa fiat, neque aliunde urgeat obligatio manifestandi puram veritatem. Rationes sunt: 1º non est illicitum in se; non enim intervenit mendacium, cum restrictio exterius sufficienter percipi possit, quamvis re ipsa non percipiatur; percipi nimirum potest vel propter verborum duplarem sensum grammaticalem, ut contingit in aequivocatione, vel propter duplarem sensum verborum ex aliqua nota circumstantia. — 2º Non est illicitum propter effectum, deceptionem nempe proximi; quia in casu nostro deceptio proximi loquenti non est imputabilis, quum ex una parte eam neque ut finem neque ut medium intendat; intendit enim solam occultationem veritatis; ex altera parte habeat iustum causam permittendi deceptionem proximi. Unde deceptio loquenti neque in se neque in causa reputanda est voluntaria. (Cfr. supra n. 26. et n. 58.) — 3º Bonum commune liceitatem hanc postulat; secus enim saepe non exsisteret modus secretum licite celandi, quod utique commercio humano esset aequa perniciosum ac mendacium. — 4º Christus ea usus est, ut patet ex Ioan. II, 19. ubi dixit Iudeis: « Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud. » Pariter ex Marc. XIII. 32. ubi Dominus dixit: « De die illo nemo scit..... neque Filius » intelligens: *ad manifestandum*, ut discipuli petebant.¹⁾

¹⁾ Allegatur etiam Jo. VIII. 8 ubi Christus ait: ¹ Non ascendo ad diem festum hunc; et tamen postea ascendit; unde dicens non ascendo intendit: manifeste, ut discipuli rogabant; sed ascendit occulte. At secundum Codices meliores non legendum est: « Non ascendo », sed: « Nondum ascendo »; ita ut tunc omnis species restrictionis vel aequivocationis evanescat.

Requiritur autem: 1º ut *iusta de causa fiat*; quia secus cuncta duplicitatibus fallaciisque paterent, ita ut homines non possent sibi mutuo credere, quod esset bono societatis humanae adversum. — Insuper, si agatur non de amphibologia, sed de restrictione mentali, haec, deficiente iusta causa, vix nonnisi pure mentalis ideoque purum mendacium erit. Iusta porro causa adesse iudicatur, quoties occultatio veritatis censemur conducere ad aliquem finem honestum. (n. 151. 152.)

2º ut *aliunde non urgeat obligatio manifestandi veritatem*. Hinc non licet uti amphibologia aut restrictione: a) quando urget praeceptum fidei confitendae, b) quando ratione officii tenemur aliquem instruere et docere verane erret, praesertim si stipendi titulus accedit, c) quando quis legitime a Iudice vel Superiore vel Confessario interrogatur, de iis scil. quae ad eorum officium spectant, d) in contractibus onerosis, quia secus iniuria alteri irrogaretur. (n. 154.)¹⁾

Iuxta Vermeersch. l. c. et *Theol. Mor.* II. n. 705, quando ex adiunctis sensus intentus cognosci non possit, licitum erit falsa enuntiatione secretum suum defendere contra saltem materialiter iniustum aggressorem qualis est importune vel indiscrete interrogans. Tunc verba quae secus forent mendacia nunc simul sunt defensiva et qua talia intenduntur; falsa significatio mere permittitur eodem modo quo etiam materialiter iniusta aggressio vitae efficit ut actio secus homicida nunc fiat nisi sui defensiva. Sed obstat quod in casu verba prolati praeceps eatenus sunt defensiva quatenus sunt falsi significativa; dum in altero casu percussions habentur solummodo occisvae quatenus sunt defensiae. Qui id non admittunt, permittunt occisionem *directam* ad sese defendantum. Caeterum non opus est ad similem explicationem recurrere: semper enim quando verba ex adiunctis duplicem sensum habere possunt, talis sensus etiam sufficienter est cognoscibilis in illa generali cognitione quam quisque habet in omni sermone occurtere posse rationes legitimas ut forsitan hic et nunc ignotas celandi veritatem ideoque verba in alio sensu adhibendi. Cfr. Kern. *die Lüge*. p. 149.

999. — Resolutiones. Iuvat aliquot exemplis, a Theologis propositis et admissionis, doctrinam expositam illustrare. 1º Quoties tenetur quis infamiam alterius occultare, vel aliter secretum servare, licite respondet interroganti: *nescio*, intelligendo *scientia communicabili*, vel *tamquam manifestabile*. Unde Confessarius affirmare potest, etiam iuramento, se nescire peccatum in Confessione auditum, intelligendo *ut hominem*, quia scit ut minister Christi; vel *scientia communicabili*, qualis non est scientia Confessarii; idque potest, etiamsi alter interrogaret an audierit ut minister Christi; quia Confessarius semper censendus est respondere ut homo, cum ut minister Christi non possit loqui. (n. 153.)

2º Reus aut testis, a iudice non legitime interrogatus, potest iurare se nescire crimen, intelligendo nescire se crimen *de quo legitime possit inquire* vel *ad testimonium dandum*. Idem dicendum, si testis ex alia causa non teneatur testimonium dare, nempe si ipsi constet crimen culpa caruisse, vel si crimen sciat sub secreto commissum, nisi maius bonum revelationem exigat. Cfr. infra n. 1004.

¹⁾ De obligatione respondendi iudici in iure hodierno cfr. tamen infra n. 1242. — De obligatione fatendi veritatem a parte discipulorum erga educatores cfr. N. R. *Theol.* 1924. p. 107. Cfr. etiam Merkelbach II. n. 861.

3º Adultera a viro suo interrogata potest aequivoce asserere se non fregisse matrimonium, quippe quod vere persistat; et, si adulterium sacramentaliter confessa est, respondere potest: *Innocens sum ab hoc crimine*; quia per Confessionem iam ablatum est. (n. 162.)

4º Quoties quis ex quacumque ratione liber est ab alicuius debiti obligatione, potest rogatus a iudice tale debitum negare, intelligendo debitum *quod revera solvere debeat*; quia hoc solum vere debitum est, et sic respondet ad debitam iudicis intentionem.

Hinc: a) Debitor, bonis absconditis indigens ad sustentationem, similiter haeres, qui sine beneficio inventarii addit haereditatem, si qua bona occultarit, e quibus non tenetur satisfacere creditoribus, potest iudici respondere se nihil occultasse; quia iudex licite tantum interrogat de bonis, quae non potuerit licite occultare. (n. 158.)

b) Qui mutuum accepit et postea solvit, sed solutionem probare nequit, potest negare se hanc mutationem fecisse, intelligens mutationem *quam bis solvere debeat*. Id ipsum accomodari potest cuicunque debito.

c) Qui non tenetur ad vectigal, potest respondere se nihil habere, scilicet *quod declarare debeat*. (n. 159.)

5º Si quis invitatus interrogetur an sapiat cibus, qui revera est insipidus, potest respondere eum bonum esse, scil. *ad mortificationem*. Similiter viri spirituales dicere possunt cibos delicatos sibi nocere, id est *mortificationi*: doloribus afflitti, se bene valere, id est *quoad robur spiritus*. (n. 151. 160.)

6º Famulus iussu domini potest negare dominum domi esse, quamvis adsit, intelligendo *quatenus videri aut visitari possit*, ut ex usu loquendi solet intelligi. (n. 565.)

1000. — Quaestio. *An iurare cum amphibologia, aut restrictione comprehensibili, sine iusta causa, sit peccatum mortale.*

Resp. Affirmant aliqui. Sed probabilius negant alii; quia in huiusmodi iuramento non desunt veritas et iustitia, deficit tantum iudicium sive discretio, cuius defectus nonnisi venialis est. Excipe tamen quando urget obligatio gravis manifestandi veritatem, ut in iudicio, et in contractibus, secundum dicta n. 998. et dicenda n. 1241. 1242.

Inde infertur, quod ad sic iurandum (extra contractus et iudicium) non requiratur causa gravis, sed rationabilis sufficiat, puta ad se liberandum ab importuna et iniusta interrogatione alterius. Quocirca notandum: 1º maiorem causam requiri ad aequivocandum cum iuramento, quam sine illo; 2º quo verba maiorem occasionem praebent errandi, eo maiorem exigi causam; proinde, quando verba fere nullam erroris occasionem afferunt, ut sunt verba per se aequivoca, levissima causa excusat. (n. 151.)

1001. — Nota pro praxi. Cautus sit Confessarius in admonendo poenitentes de liceitate restrictionis mentalis cum iuramento; ne det scandalum, scil. ne ansam praebat sinistris iudicis aut periuriis; nam aliquot sunt restrictiones mentales, quas indocti non discernent a mendacio.

CAPUT II.

VIOLATIO SECRETI.

Haec materia magni momenti est, cum ex secreti violatione nonnumquam gravissima mala proveniant. Quare, exposita notione et divisione secreti, de tribus modis secreti violandi, per eius nempe revelationem, explorationem, usum, separatim agemus.

*Articulus I.***Notio et divisio secreti.**

1002. — Notio. Secretum, de quo hic agimus, est cognitio rei occultae, quae revelari non debet. Quapropter generatim spectat rem, quae suapte natura digna est ut secreta servetur, scilicet quae aut mala est, et peccatum, aut cuius revelatio damnosa est.

Divisio. Triplex distinguitur secretum: 1º *Naturale*, quod ex natura rei obligat, ut si quis casu vel industria novit aliquid, cuius revelatio cederet in damnum vel displicentiam proximi.

2º *Promissum*, quod quis servare promisit, quamvis res ex natura sua non induceret obligationem secreti.

3º *Commissum*, quod alicui committitur sub pacto expresso vel tacito illud servandi et ab altero acceptatur. Hoc est ergo secretum commissum simul et promissum, et *strictum* vocatur.

In secreto porro commisso praecedit pactum *expressum*, quando unus expressis verbis postulat secretum, et alter promittit. Praecedit vero pactum *tacitum*, quando ex ipso facto constat rem sub secreto committi, et alterum illam sic accipere; quo modo obligantur advocati, notarii, medici, chirurgi, et aliis similes, ad quos pro remedio vel consilio recurritur, sicut etiam theologi consulti circa aliquos casus conscientiae; qui omnes ex officio tenentur secretum observare, et tacite illud promittunt pro munere suo. Secretum ex munere proveniens vocari etiam potest secretum *professionale* seu *officiosum*.

In eo itaque differt secretum commissum a promisso, quod in primo rei notitia propter promissionem secreti accipitur; in secundo notitiae utcumque acceptae secretum gratuito promittitur. Unde primum est contractus onerosus, secundum gratuitus.¹⁾

¹⁾ De fundamento obligationis secreti ex officio cfr. *Eph. Lovann.* 1939. p. 430-456.

*Articulus II.**Revelatio secreti.*

1003. — *Obligatio servandi secretum.* I. Secretum *naturale* obligat ad sui observationem sub peccato mortali e genere suo, quia violatio eius vel damnum vel displicantiam proximi secum fert ideoque vel iustitiam vel charitatem laedit; hae autem virtutes obligationem ex genere gravem inducunt. (*n.* 970. *Marc. n.* 1185).

II. Secretum *MERE PROMISSUM* obligat sicut ipsa promissio. Recole dicta *n.* 879. (*n.* 970)

Verumtamen materia secreti promissi potest simul esse materia secreti *naturalis*, et tunc lex secreti *naturalis* subintragat.

III. Secretum *commissum* prae ceteris graviter obligat ex iustitia. Ratio est, quia intercedit contractus onerosus, quem violando infertur committenti gravis iniuria; deinde totius societatis interest, ut hoc secretum fideliter custodiatur.

Hinc secretum commissum tenetur quis servare etiamsi legitime a Iudice vel Superiore interrogetur, et potest respondere se nihil scire, scilicet ad revelandum; quia nec Iudex nec Superior possunt iuri naturae derogare, quo servandum est secretum commissum, nisi alia via res iam cognita sit, aut adsit iusta causa illam revelandi, ut infra dicetur. (*n.* 970. *Lib. 4. n.* 49. 248. 268; 2. 2. *qu.* 70. *a.* 1. *ad* 2. Cfr. etiam infra *n.* 1235. III.)

1004. — *Causae excusantes revelationem secreti* sunt: *a)* consensus illius, cuius est secretum, saltem rationabiliter praesumptus; *b)* divulgatio rei aliunde facta; *c)* necessitas avertendi damnum; et quidem:

1º pro secreto *naturali* damnum, sibi aut proximo imminens, quod quis secundum leges charitatis supra traditas (*n.* 349 *sequ.*) non tenetur subire ad *praecavendum* damnum vel displicantiam alterius. (*Marc. 18 n.* 1185.)

2º pro secreto *promisso* damnum ad quod subeundum vel non-evitandum aliquis sese obligare non intenderit, aut non potuerit, unde promissio secreti etiam iurata non obligat, quando tu revelare teneris; quare iudici legitime interroganti debes testari crimen alterius, etsi promiseris non detegere. (*n.* 970. *lib. 4. n.* 268.)

3º pro secreto *commisso* damnum *grave commune* vel *alius innocentis*, etiam ipsius committentis; quia tunc ordo charitatis postulat, ut reveletur, etiamsi iuratum fuisset; vel etiam ex sententia communi, damnum *grave proprium*, quia non est peioris conditionis quam ceteri innocentes. Dummodo tamen in hoc ultimo casu quis secretum *non iniuste* vi vel fraude malisve artibus exceperit. Idque valet, etiamsi inde committenti multo gravius

damnum, imo periculum mortis immineret; quia non tenetur cum tanto incommodo damnum proximi vitare; neque praesumitur ad tale onus se obligasse, nisi ex circumstantiis certo id appareat. (n. 971.)

NOTA. Dicta valent tantummodo sub hac duplice restrictione: 1º ut non plus reveletur quam necessitas postulat; 2º ut non revelentur ea quorum revelatio obest bono communi. Hinc iuxta aliquos non est licitum revelare, indeque practice nulla obligatio revelandi, impedimentum matrimoniale vel morbum sponsae damnosum, sed ex secreto *professionali* notum. ¹⁾ Imo, aliquando bonum commune exigere potest ut secretum commissum ne ob grave quidem damnum publicum vitandum violare liceat, uti obtinet in secreto *sacramentali*, quod nullam umquam ob causam violare licet, ut in tract. de Poenitentia exponetur; et obtinere potest in secreto *conscientiae*, non sacramentali, sed quod aliqui vocant *quasi-sacramentale*, ut est manifestatio propriae conscientiae, praesertim minus libera Superiori alterive facta ad petendum consilium vel ad directionem spiritualem obtinendam. Quod quidem secretum antequam revelari vel etiam mere adhiberi potest ad damnum aliquod etiam commune avertendum, generatim prius moneatur consiliarius de sua obligatione damnum illud praecavendi per spontaneam secreti manifestationem vel adhibitionem; quo renuente bene perpendatur annon in casu gravitas damni de quo agitur, postponenda sit gravitati illius damni communis, quod oritur ex eo quod vel apparenter hac in re fides frangatur. (cfr. S. Alf. lib. 6. n. 698.) ²⁾

1005. — Quaestiones. QUAER. 1º Si quis expresse PROMISERIT secretum non revelare ETIAM CUM DISPENDIO VITAE, an nihilominus revelare possit ob periculum mortis.

Resp. Duplex est sententia probabilis.

Prima affirmat eum posse et teneri; quia nulli fas est propriam vitam prodigere.

Secunda negat; quia, si res secreto servanda gravissimi est momenti, id non est vitam prodigere, sed eius conservationem omittere, ut promissum servetur; quum autem liceat ob iustum causam vitam non tueri, potest quis ad hoc se obligare. (n. 971.)

QUAER. 2º An graviter peccet secretum magni momenti revelans qui illud parvi esse momenti credebat.

Resp. *Negat.*, si sufficienti adhibita diligentia, certo crediderit rem esse parvi momenti. — Similiter excusat a peccato gravi, si quis non adverteret ad materiae gravitatem, vel sibi esse rem sub secreto commissam non recordaretur. (n. 971. Salm. n. 81.)

QUAER. 3º An sit mortale rem gravem sub secreto commissam, uni vel alteri viro probo sub eodem secreto revelare.

Resp. Probabiliter negatur, dummodo illi non detegatur, cui praecipue rem occultare voluisse creditur ille qui secretum commisit (n. 971 et dummodo insuper vir ille adeo fidus sit ut eadem licentia usurus non sit, et sic secretum brevi e tenebris erumpat; ideo hac sententia caute utendum est.

¹⁾ Cfr. infra n. 1250. III. 3º; tom. II. n. 632. *qu. 1.*

²⁾ Cfr. hac de re Lehmkuhl. I. n. 1445. III: Vermeersch, *de Religiosis Inst. et Pers.*⁴ I. n. 489; Suarez. *de virt. et statu relig. lib. X. c. 6. n. 7. sequ.* Castropalaus. *de virt. relig. tr. 16. Disp. 5. p. 7. n. 11 sequ.* De secreto a spiritualis disciplinae Moderatore in Seminario servando cfr. Enc. *Ad catholici Sacerdotii*, 20 Dec. 1935. A. A. S. 1936. p. 41.

*Articulus III.**Exploratio secreti.*

1006. — **Moralitas in genere.** I. Expiscari alterius secretum eiusve revelationem extorquere in re gravi est mortale peccatum contra iustitiam. Ratio est, quia unusquisque habet ius ad secretum suum; ergo, invito domino secreti, illud exquirere gravis est iniuria. (Salm. tr. 13. cap. 4. n. 83.)

II. Probabiliter tamen per se non erit mortale, si quis inquirat alterius secretum animo apud se illud retinendi, secundum dicta num. praec. qu. 3. (Roncag. tr. 13. qu. 4. cap. 4. qu. 5.)

III. Licet cum iusta causa vel venia domini, saltem praesumpta, inquirere secreta aliena. Non enim datur iniuria, quando dominus consentit vel rationabiliter consentire debet. Iusta autem causa est necessitas avertendi damnum grave communitati, vel tibi vel tuis impendens. (Marc. n. 1189.)

1007. — **Secretum litterarum.** Aperire et legere litteras alienas, vel alia scripta secreta, est ex genere suo peccatum mortale contra iustitiam, quia unusquisque ius habet ad secretum suum, sive verbis prolatum, sive scripto mandatum; praeterea litteras aperire esset contra commune bonum humani commercii.

Excipiuntur plures casus: 1º Superiores religiosi aperire et legere possunt litteras, quae a subditis vel *ad subditos* mittuntur; sive ex Religionis statuto aut consuetudine, sive ex probabili suspicione quod mali aliquid contineant.

Quod intellige, salvo canone 611, qui sic sonat: «Omnes religiosi sive viri sive mulieres, libere possunt mittere litteras, nulli obnoxias inspectioni, ad Sanctam Sedem eiusque in natione Legatum, ad Cardinalem Protectorem, ad proprios Superiores maiores, ad Superiorem domus forte absentem, ad Ordinarium loci cui subiecti sint¹⁾ et, si agatur de monialibus quae sub regularium iurisdictione sunt, etiam ad Superiores maiores Ordinis; et ab istis omnibus praedicti religiosi, viri aut mulieres, litteras item nemini inspi ciendas percipere.»

2º Parentes, magistri, mariti possunt aperire et legere litteras filiorum, discipulorum minorennum, uxorum, quando mali quidpiam prudenter suspicantur.

3º Si habeatur consensus expressus vel rationabiliter praesumptus illius, qui litteras mittit, vel ad quem litterae mittuntur.

4º Si credatur litteras non continere res magni momenti; tunc non erit peccatum mortale. Attamen, etiamsi materia sit levis, si legens iudicaret alterum tam aegre laturum esse ut graviter offenderetur, peccaret graviter contra charitatem.

5º Si credatur aliquid in litteris contineri, quod in proprium vel alterius iniustum damnum cedat, dummodo non plus legatur, quam ad eum finem neces-

¹⁾ Religiosi *exempti* a iurisdictione Ordinarii loci hoc privilegio gaudent tantum in casibus in quibus ipsi subiectiuntur; ita resp. C. C. I. 27 Nov. 1947. *A. A. S.* 1947 p. 301. Vi principii in quo fundatur haec decisio, iuste inferri videtur, quod religiosi libero litterarum commercio gaudent non solum cum Ordinario loci proprio sed cum omnibus Ordinariis locorum respectu casuum in quibus ipsi subduntur. Ita etiam *Comm. pro Rel.* 1948 p. 159. *N. R. Th.* 1948 p. 1092.

sarium sit. Qua ratione excusatur, qui ad se tuendum ab iniusta vexatione inimici, intercipit huius litteras; item ministri publici, quoties ex gravi causa iudicaverint Reipublicae et bono communi expedire, prout cumpromis usuvenire potest tempore belli. Tandem, quisque legere potest litteras, quas dominus integras in locum publicum proiecerit; quia tunc cessit iuri suo. (*n.* 969. *Lib.* 5. *n.* 70. *H. A. n.* 5. 6.)

Articulus IV.

U s u s s e c r e t i .

1008. — Praeterquam per revelationem et per explorationem, secretum violari potest per iniustum eius usum, quoties nempe aliquis, quin secretum ipsum revelet, iniuste utatur eius notitia ad aliquem finem obtinendum. Iamvero de usu secreti statui possunt regulae sequentes.

Regulae. I. Si quis obtinuerit notitiam secreti, atque *per modum secreti*, sive naturalis, sive promissi, sive commissi, ordinarie saltem non licebit uti notitia secreti ad aliquid obtinendum, nisi consensus illius, cuius est secretum, rationabiliter praesumi possit vel adsit causa excusans proportionata. Ratio est, quia, ordinarie saltem, illius, cuius est secretum, interest non tantum ut non reveleatur, sed etiam ut non adhibeatur secretum ab aliis. Consensus tamen rationabiliter praesumptus, sicut et causa usum excusans pro diversis circumstantiis facilius adesse poterit, quam consensus vel causa excusans revelationem; ut si Superior utatur notitia secreta, a subdito accepta, in huius bonum spirituale sine ulla secreti manifestatione ac sine ullo subditi gravamine.

II. Si quis obtinuerit notitiam secreti, sed non per modum secreti, sed *per propriam industriam*, distinguendum est:

a) Si *iuste* hanc notitiam acquisierit, ea uti licet in proprium vel alterius commodum, etiamsi aliquod damnum alterius inde sequatur; ex eo enim quod *iuste* hanc notitiam acquisierit neque per modum secreti, cessat ius secreti eo quod cessat ipsum secretum.

Unde si quis proprii ingenii sagacitate detexerit alterius secretum in operibus artefactis adhibitum, sicut illud revelare, ita et adhibere licet in propriam vel aliorum utilitatem. Quam ob rem ipsi fas erit praevenire alterum in publicando et vendendo invento vel in petendo monopolio, ubi secundum leges obtineri potest. Quid vero dicendum sit, si agatur non de propria inventione, sed de mera imitatione, supra (*n.* 653) expositum fuit.

b) Si *iniuste* hanc notitiam acquisierit, non licet ipsi, generaliter loquendo, uti notitia illa, cum alterius damno, ob quodecumque damnum suum effugiendum. Ratio, quia nemo licite potest actionem iniustam continuare et perficere. Unde iniustus secreti detentor tenetur e contra ad reparanda omnia damna propter illam detentionem proximo obventura. Dicitur: *generaliter loquendo*, si enim postea exsurgit causa ex qua inquisitio secreti iuste incipere potuisset, licet utique notitiam iniuste acquisitam, sed iam iuste detentam, in finem ex hac causa permissum adhibere (*n.* 969.).

CAPUT III.

LAESIO FAMAE

1009. — Fama solet definiri: communis existimatio de vita et moribus alicuius. Fama laeditur detractione; cum detractione autem aliquatenus convenit susurratio, qua quis obloquendo nititur amicitiam proximi disrumpere; ad detractiōnēm demum disponit iudicium temerarium. Unde dicemus: 1^o de detractiōne, 2^o de susurratione, 3^o de iudicio temerario.

*Articulus I.***Detractio.**

De detractiōne expendemus: 1^o notionem et malitiam eius; 2^o causas, ob quas aliquando licet crimen proximi revelare; 3^o quando et quantum peccent audientes detractiōnēm; 4^o obligationem restituendi famam iniuste laesam; 5^o causas ab hac restitutione excusantes.

§ I. - NOTIO ET MALITIA DETRACTIÖNIS.

1010. — **Notio.** Detractio est denigratio iniusta famae proximi absentis. Dicitur: 1^o *iniusta*, non *falsa*: ad iniustitiam enim denigrationis vitandam non sufficit veritas facti, quod probe notandum est. 2^o *Absentis*: quia, si fiat proximo praesente, contumelia est. (S. Thom. 2. 2. *qu. 73. a. 1. et 4 ad 1.*)

Modi detrahendi. Potest detractio septem modis fieri: 1^o falsum crimen vel defectum imponendo, et tunc dicitur *calumnia*; 2^o defectum verum adaugendo; 3^o occultum revelando; 4^o benefactum sinistre interpretando; 5^o negando bonum alterius; 6^o illud malitiose reticendo, quando manifestari deberet; 7^o idem minuendo, vel frigide laudando, ita ut laus cedat in diminutionem famae. Ex his quatuor priores modi famam *directe* laedunt: tres vero posteriores *indirecte* solum. (S. Thom. *loc. cit. a. 1. ad 3.*) Continentur omnes hisce versibus:

Imponens, augens, manifestans, in mala vertens,
Qui negat, aut reticet, minuit laudatve remisse.

1011. — **Principia. I.** *Detractio est ex genere suo peccatum MORTALE contra iustitiam.* Ratio est, quia iniuste aufert proximo bonum maius divitiis, iuxta Prov. xxii. 1: « Melius est nomen bonum, quam divitiae multae; » et Rom. i, 29. 30: « Susurrones, detractores, Deo odibiles. » Id verum est, etiamsi detractio ex loquacitate procedat, dummodo fiat cum debita deliberatione. (n. 977.)

II. *Gravitas vel levitas detractionis non tam est accipienda ex gravitate criminis seu defectus propalati, quam ex GRAVITATE INFAMIAE subsecutae.* Ratio est, quia infamia est ipsum nocumentum, quod proximo infertur; ex detimento autem detractio suam haurit malitiam, secundum regulam generalem, quam tradit D. Thomas: « Peccata, quae committuntur in proximum, sunt pensanda per se secundum numenta, qua e proximo inferuntur; quia ex hoc habent rationem culpae. » (2. 2. qu. 73. a. 3.)

Ad cognoscendam istam gravitatem, attendendae sunt circumstantiae; puta conditio personae, de qua detrahitur; auctoritas detrahentis; affectus audientium. Ratio est, quia maius vel minus sequetur famae detrimentum, pro ratione aestimationis, qua gaudet persona laesa; maior vel minor fides praestabatur, prout loquens erit maiori minorive fide dignus; in deteriorem vel meliorem partes sumetur, maius minusve periculum erit divulgationis, aut etiam amplificationis, pro affectu audientium. (n. 967. Salm. tr. 13. cap. 4. n. 42.)

III. *Peccata contra famam, sub ratione detractionis, omnia sunt EIUSDEM SPECIEI;* quia tota illorum malitia, quatenus est contra iustitiam, fundatur in iure proximi ad famam suam, cui iuri opponitur quaelibet detractio, quovis modo fiat et de quovis defectu. In *calumnia* reperitur etiam malitia mendacii, quae est specie diversa; haec tamen, prout est contra veracitatem, non est mortale, atque ideo *per se* non necessario in confessione explicanda. Ita Lugo. disp. 14. n. 36. De Poenit. disp. 16. n. 265. Salm. tr. 13. cap. 4. n. 34. et alii communiter. (n. 978. in fine.)

Nihilominus propter modum reparacionis iniungendae, Confessarius scire debet utrum detractio fuerit calumnia neene, ut dicemus n. 1021.

1012. — Resolutiones. 1º *Per se* non est mortale defectus naturales animae vel corporis revelare, dicendo v. g. quod quis sit stupidus, ignarus, illegitimus; quia non pertinent ad bonam famam morum.

2º Grave erit, si quis virum honestum boni nominis, vel magnae auctoritatis, prodat esse mendacem, bibulum, illegitime natum, etc.; inde enim ei grave nocumentum famae oriri potest.

3º Plerumque non erit mortale, referre peccata mortalia, quae ob conditionem personae non notabiliter famam laedunt, v. g. si dicas de adolescente mundano eum rixatum esse, se inebriasse, deditum esse amoribus, etc. (n. 967.)

4º Regulariter non est gravis detractio, si dicatur de aliquo quod sit avarus, iracundus, superbus, etc.; quia haec denotat tantum animi propensionem, aut ab audientibus accipi solent ceu levia peccata. Secus, si dicatur quod sit impudicus aut iniustus; haec enim graviter infamant; item, si dicatur quod morbo venereo labore, nisi statim exponatur causa ob quam inculpabiliter contraxit hunc morbum.

5º Detractionis mortalis rei sunt, qui utuntur certis loquendi modis, qui quamvis nullum defectum exprimant, gravium tamen defectuum suspicionem ingerunt; ut si dicas de aliquo: *Si vellem aperire quae scio, ipsum maximo rubore suffunderem.* Novi, quod nemo de illo suspicaretur. *Multa scio, sed tacere iubet charitas.* Hoc modo enim iam significas quantum sufficit ut alii sinistre de eo

opinentur, et fortasse aliquid peius cogitent, quam sit id, quod dicere potuisses.

6º Male loqui de ignotis vel de indeterminatis personis, dicendo v. g. in tali loco esse multos improbos, ebriosos, impudicos, non est peccatum saltem grave. Secus, si dicatur tale crimen patratum esse et ita describatur crimen ut deveniri possit in notitiam personae, vel si, celata persona, nominetur Communitas vel familia, et defectus sit talis ut ex hac sola notitia redundet dedecus et detrimentum grave in totam Communitatem vel familiam, puta si dicas Religiosum talis Ordinis vel Conventus fecisse tale crimen, sic enim bonam aestimationem et famam illius Communitatis graviter laederes, etiamsi persona ipsamet taceatur. Nihilominus, si Ordo Religiosus esset amplius et notorie laxioris observantiae, id grave peccatum aestimandum non est. (n. 978. H. A. n. 16.)

7º Lethaliter peccant, qui Ordini alicui Religioso universe, vel Monasterio detrahunt, dicendo v. g. quod in eo male vivatur, non servetur observantia regularis, etc., nisi id sit plane notorium. (n. 978.)

8º Detrahere defunctis minus grave est, quam detrahere vivis, mortale tamen peccatum est; nam homo etiam post mortem censetur possidere famam suam, et per illam vivere in hominum memoria, unde bonum nomen post mortem est bonum valde appetibile, et cuius gratia homines multas difficultates superant. Propterea graviter peccant historiographi, qui occulta defunctorum crimina in historiis suis narrant, nisi boni communis ratio praeponderet. Cfr. infra n. 1015. 7º.

1013. — Quaestiones. QUAER. 1º *An sit peccatum grave, defectum gravem proximi revelare uni vel alteri viro probo, qui rem secreto servabit.*

Resp. Dist. Affirm., si fiat ex mala intentione proximum graviter denigrandi.

Negat., si fiat ex iuxta causa, puta ad petendum consilium, ad instructionem; tunc certe caret omni culpa; quin etiam, si fiat ad levamen afflictionis et solatium animi post acceptam offensam; durum enim videtur quod quis cogatur dolorem apud se concoquere, et solatium ab amico non quaerere. Hinc probabiliter excusari possunt famuli, uxores, filii, religiosi, detegentes iniurias a dominis, viris, patre, praelato sibi illatas.

Num autem sit peccatum mortale, si fiat sine iusta causa, controvertitur. *Prima sententia* communior et probabilior affirmit; quia ad peccandum graviter non requiritur ut detractio reddat proximum infamem, sed satis est quod inferat famae notabile nocumentum: atqui saepe mallet quis defectum suum revelari octo vel decem plebeis, quam uni viro gravi, apud quem exoptat bene audire.

Secunda sententia probabilis negat; quia, cum fama consistat in communi aestimatione hominum, non diffamatur nec notabiliter laeditur per malam unius alteriusve opinionem. (n. 973. H. A. n. 11.)

QUAER. 2º *An referre peccata occulta alterius, sed ut ab aliis auditu, sit mortale.*

Resp. Dist. Si quis ita referat ut alii non sint credituri, non peccat mortaliter, quia abest periculum infamiae.

Si referat coram iis, qui ex sola levitate vel malevolentia sua probabiliter credituri sunt, peccat graviter contra charitatem; quia quisque tenetur grave damnum proximi, quantum commode potest, impedire. Non peccat contra

iustitiam; quia, cum auditores non ex narratione, sed ex propria credulitate credant, narrator non est causa damni, sed occasio tantum.

Si ita referat ut auditores verisimiliter et merito sint credituri, puta si asserat se audivisse a persona fide digna, peccat graviter contra iustitiam; quia tunc malum sufficienter credibile facit. Quodsi de delicto enormi agatur, puta de haeresi, de sodomia, dem dicendum, quamvis narratio non sit plena fide digna, sufficiat tamen ad prudentem suspicionem ingerendam; quia sola suspicio eiusmodi criminum cedit in gravem infamiam. *Ita communiter.* (n. 977.)

QUAER. 3º *An infamatus de uno crimen posset de alio infamari.*

Resp. *Dist.* Si aliud istud sit valde affine et ordinarie coniunctum cum primo, non erit peccatum saltem grave; quia parum inde infamia augetur; sic v. g. si de adultero dicas eum litteras amatorias misisse; de ebrioso eum cum uxore rixari, tali die ebrium fuisse; de illo, qui fur passim habetur, eum aliquod novum furtum commisisse; de meretrice, eam sollicitasse adolescentem, etc.

Si vero crimen illud non sit ita connexum, graviter peccat contra iustitiam; quia fama est divisibilis, variis quasi partibus constans, ita ut infamis in uno genere vitii, non amiserit ius ad famam in aliis virtutibus, v. g. si de ebrioso dicas quod sit etiam fur, adulter. Pariter, si de femina diffamata de uno adulterio postea aliud adulterium occultum propalares; relapsus enim plerumque multum aggravat infamiam. (n. 976.)

§ II. - CAUSAE EXCUSANTES REVELATIONEM CRIMINIS ALIENI.

1014. — Duas ob causas cessare potest malitia in revelatione criminis, nimirum: 1º quia fama santis iam amissa est, 2º quia datur iusta famam auferendi ratio.

Principia. I. *Crimen PUBLICUM ulterius divulgate narrando nescientibus nulla vel nonnisi levis est culpa.* Ratio est quia reus tunc fama sua iam spoliatus est, unde illa divulgatio nullum vel exiguum detrimentum infert. Confirmatur ex communi usu hominum, etiam timoratorum, qui delicta publica sine ullo scrupulo narrant ignorantibus. (n. 973.)

Dupliciter porro crimen solet dici publicum, seu notorium, videlicet *iure* et *facto*. 1º Notorium *iure* dicitur, de quo constat in iudicio, per spontaneam confessionem rei, vel per plenam probationem, vel per iudicis sententiam. 2º Notorium *facto*, quod in praesentia complurium est perpetratum, puta in oculo publico, vel omnibus passim ob oculos versatur, ut si quis publice concubinam habeat, vel demum per publicam *famam* vulgatum est, ita ut maior pars civitatis, pagi, viciniae, parochiae, illud norit. (*Lib. 7. n. 141.*)

II. *Crimen OCCULTUM alterius revelare licet ob iustum causam*, nempe notabilis cuiusdam boni consequendi, vel gravis damni vitandi, dummodo non plus nec pluribus reveletur quam necesse est, atque probabilis sit bonus effectus nec alio modo damnum averti possit. Ratio est, quia homo reus, qui delictum revera commisit, nonnisi ius *limitatum* ad famam habet; ordo namque charitatis et iustitiae postulat ut nocens iure ad famam dumtaxat potiatur sine praeiudicio proprio vel aliorum innocentium. Licitu proinde est

revelatio, quoties expedit vel bono communi, vel notabili bono privato, sive ipsius revelantis, sive audientium, sive ipsius delinquentis. (n. 968. 969.)

III. *Calumniam seu crimen FALSUM alicui imponere numquam licet.* Ratio est, quia innocentia competit ius *absolutum* ad famam, sicut ad vitam; propterea proscripta est ab Innoc. XI prop. 44: « Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam iustitiam et honorem defendat. Et si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia. » (n. 972.)

1015. — Resolutiones. 1º Fas est crimen occultum proximi revelare propter bonum spirituale ipsius sontis, ut resipiscat, v. g. si ex monitione secreta non corrigatur, aut non praevideatur corrigendus, tunc nempe poterit manifestari Superiori, vel amico, qui remedium cum spe fructus adhibere potest. (n. 968.)

2º Si innocens accusetur, licet manifestare verum criminatum. Si quem noveris impium, furem, ebriosum, impudicum, aut aliunde moribus depravatum, potes instruere eos, quos frequentat, ut sibi vel a seductione vel a damno temporali caveant. (n. 968.)

3º Quem quis novit imperitum vel improbum medicum, advacatum, artificem, potest ad cautelam manifestare iis, quibus damnum inferri ex eorum imperitia vel improbitate potest.

4º Si persona in matrimonium assumenda sit, unde mali exitus timentur, si famulus aut famula conducendus sit, unde notabile incommodum merito timetur, potest, si alia via desit, eorum occultus defectus aperiri iis, quorum interest.

5º Possunt coniuges sibi invicem revelare defectus liberorum et domesticorum; quia ad utrumque spectat gubernatio familiae, quae postulat ut cognoscant mores et defectus subditorum, ut dein circa eos invigilent, eosque puniant.

6º Si quis moliatur crimen perniciosum Reipublicae, puta homicidium, fursum, etc.; si indignus assumendus sit ad statum aliquem vel officium, cum praecaudicio aliorum, potest et debet conscius delictum conceptum vel occultum personae vitium manifestare ei, qui potest malum impedire. (n. 968.)

7º Fas est historiographis pravorum hominum crimina non occulta, quamvis obliterata, memoriae saeculorum tradere; id enim ad bonum commune conductit et sequitur ex fine scientiae historicae, quae ut possit esse testis veritatis, Providentiae divinae illustratio, magistra demum populorum, factorum nexum causalem demonstrare debet ideoque memoriam criminum etiam obliteratorum resuscitare. Imo aliquando ratio adesse potest cur etiam occulta crimina posteritati communicentur, quamvis id per se non liceat, quum etiam defuncti ius ad famam retineant.

Attendendum tamen ne in describenda historia novissima ex narratione criminum personae demortuae coniuncti superstites damnum subeant; neve ex importuna recordatione vitiorum praeteritorum, v. g. personarum ecclesiasticarum, scandalum potius quam utilitas communis oriatur. Ubi vero praevideatur ea secus tamen narratum iri, eaque exaggerata vel truncata, prout fit ab inimicis Ecclesiae, praestat ut a viro catholico integre exponantur. Cfr. Villada. *Cas. cons. tom. II. sect. I. n. 81. sequ.* Lehmkühl. I. n. 1426. Noldin. n. 653. (II. A. n. 13.)

8º Licet ephemeridum scriptoribus propalare electoribus defectus et vitia candidatorum, quae ipsos reddunt Religioni, Reipublicae, Provinciae perniciosos. (Villada. *l. c. n. 84. sequ.*) Attamen, peccant illi publicistae, qui solo studio partium vel desiderio insano omnia vulgandi, crimina revealant quorum revelatio nihil prodest bono communi; idque tanto magis quanto personae ita diffamatae altiore funguntur munere. (Noldin. 652.)

1016. Quaestiones. I. De fama iam amissa vulganda. QUAER. 1º *Quot personis debeat crimen innotuisse, ut censeatur notorium facto.*

Resp. Quando res ita limites secreti egressa est, ut, attenta qualitate Communitatis, conditione hominum, prudentis arbitrio certe futurum sit ut res ulterius diffundatur, iam respectu illius Communitatis res censenda est publica, et fama in ea Communitate amissa est.

Hinc communius censem sufficere, si in Communitate 8 personarum, 4 illud sciant: vel, si 100 personarum, sciant 15; vel, si 1000, sciant 20 ex diversis, saltem tribus, familiis. Censem publicum esse in aliqua vicinia 40 personarum, si sciant 8 ex diversis familiis; si in oppido 5000 incolarum sciant 30 per illud dispersi. Item dicitur infamatus in regno, qui iam infamatus est in urbe nobilissima, ex qua facile in regnum fama dimanet. (*n. 975.*)

QUAER. 2º *An sit mortiferum, crimen in aliquo loco publicum propalare in alio loco, quo eius notitia nondum pervenit nec brevi perventura est.*

Resp. Dist. Si est publicum *iure* per publicam iudicis sententiam, potest ubique propalari, quia iudex, damnando reum, in poenam delicti sui iuste privat eum fama. Idem dicendum, si est publicum *facto* per publicam *patrationem*: quia reus, palam committendo crimen, ipsem suam prodegit famam.

Si est publicum *facto* per *famam*, disputatur. *Prima sententia* affirmat esse mortale; sed est tripartita. Alii contendunt esse contra iustitiam; quia infamatus iuste adhuc possidet famam in loco, ad quem notitia criminis non est cito perventura. Alii dicunt esse solum contra charitatem; quia, licet reus amiserit ius ad famam, valde tamen et merito doleret quod crimen suum palam fiat in loco, ubi ignoratur. Alii dicunt esse contra utramque virtutem.

Secunda sententia communior et valde probabilis negat; quia eo ipso quod crimen factum est alicubi publicum, infamatus amisit ius ad famam suam, et omnes acquirunt ius eum cognoscendi, ut pro merito eum habeant. Ratio S. Alfonso probabilior est, quia bono publico conducit facinorosos non ignorari, ut ab eis caveant omnes; bonum autem publicum praferendum est famae hominis privati. Haec tamen ratio valet tantum respectu illorum criminum, quae reddunt hominem perniciosum, ut sunt homicidia, scandalosae luxuriae, furtum, et similia. (*n. 974.*)

Advertendum tamen, delictum publicum in Collegio, Conventu, familia, dici *absolute* publicum non posse, quia restricta est talis notitia ad personas huius solius familie, quae est quaedam persona moralis, retinens apud se secretas res suas. Unde non potest alibi manifestari, et ne in alio quidem monasterio eiusdem Ordinis religiosi, quod non haberet frequentem communicationem cum illo. *Ita communiter.* (Cfr. H. A. et *Istruz. e prat. Conf. n. 12.*)

QUAER. 3º *An sit gravis culpa, delictum alicuius, publicum uno tempore, referre postea alio tempore, quo oblivione factum est occultum.*

Resp. Affirm., saltem contra charitatem (H. A. n. 13.); imo probabilitus etiam contra iustitiam; quia eiusdem rationis est crimen oblitum ac crimen occultum, quandoquidem per oblivionem crimen reducitur ad statum, quem habebat antequam esset publicum. Probabiliter tamen est contra solam charitatem, si simul resipiscentia referatur; quia infamatus amisit in perpetuum ius ut aestimetur probus fuisse eo tempore, quo infamis fuit.¹⁾

Excipiendum est crimen, quod fuit notorium *iure*: quia sententia iudicis confert licentiam rem divulgandi ubivis locorum, et quovis tempore. (H. A. n. 13.)

1017. — II. De fama auferenda. QUAER. 1º *Quando iniuste, vi vel fraude, notitiam assecutus es alieni criminis occulti, e. g. apertione litterarum, possisne illud revelare ad vitandum grave damnum tuum vel alterius innocentis.*

Resp. Variae sunt sententiae, quas inter S. Alfonso arridet sententia Lugonis, qui negat, generaliter loquendo, te posse, ob quodcumque damnum privatum vitandum, cum alterius damno uti notitia illa *iniuste* accepta; quia ex iniusta acceptance contraxisti obligationem restituendi damna omnia, quae ex illa proximo obveniunt, et ideo obligationem damnum illi non inferendi.

Excipe casum, quo *ius habeas* etiam vi vel fraude delictum illud investigandi, e. g. si in extrema necessitate sis, quae dat ius bonum alienum usurpandi; vel si dominus secreti te aliumve innocentem iniuste vexet, quia licet vim vi repellere; vel demum si revelatio sit bono communi necessaria, quippe quod bono privato anteponendum sit. (n. 969. *Quaer.*) Confer supra n. 1004. 3º.

QUAER. 2º *An liceat famam suam tueri alterum infamando.*

Resp. Si alter iniuste famam tuam abstulit, *affirmative*, quando id iuvat ad extenuandam eius fidem circa calumnias vel crimina, quibus te infamavit iniuste; dummodo nequeas alia via famam tueri; neque plus reveles, quam necesse est. Ratio est, quia tunc uteris iure tuo ad defensionem famae, quam alter inique vult tollere. Ita Lugo. *disp.* 15. n. 48. Spor. n. 76. 77.

Non licet tamen in iudicio, si nullo modo possis illius crimen probare; tunc enim infamatio illius nihil tibi prodest. (n. 972. *Lib.* 4. n. 277.)

§ III. - AUDITIO DETRACTIONIS.

1018. — Auditor detractionis peccat, quatenus consentit detractioni, vel temere credit malum narratum de proximo, prout in articulo III dicemus. Dupliciter autem consentire potest: 1º *directe*, quando vel causa est detractionis, vel ipsi placet ea; 2º *indirecte*, quando eam non impedit, dum potest et debet, ut famam proximi tueatur.

Principia. I. *Qui alium INDUCIT, vel ei animum addit, ad detrahendum generatim loquendo, peccat GRAVITER contra iustitiam.* Ratio est, quia ut causa efficax ad damnum alterius cooperatur. (n. 979.)

Exceptio est a regula, si agatur de delicto revelando uni alterive, qui illud secretum servabunt, et revelando quidem, non ex animo infamandi, sed ex

¹⁾ Cfr. Lugo. *disp.* 14. n. 85. Sporer. *tr.* 5. *cap.* 4. n. 72. Salmant. *tr.* 13. *cap.* 4. n. 62. Croix. *lib.* 3. *part.* 2. n. 1222. Lessius. *lib.* 2. *cap.* XI. n. 82.

alia licet non iusta causa, puta ad satisfaciendum illius curiositati; tunc culpa probabiliter non erit gravis secundum dicta n. 1013. qu. 1.

II. *Qui GAUDET de detractione GRAVI alterius, peccat GRAVITER contra CHARITATEM, non contra iustitiam.* Ratio prioris est, quia delectatur de gravi damno proximi; ratio posterioris, quia non positive cooperatur.

Secus vero, si placaret tantum lepor narrantis, factorum mirabilitas, curiositas sciendi facta aliorum; tunc peccat venialiter tantum. (n. 979.)

III. *SUPERIOR, tam detractoris quam illius de quo detrahitur, peccat GRAVITER contra CHARITATEM si gravem detractionem NON IMPEDIAT, cum commode potest.* Ratio est, quia ipsi specialis obligatio incumbit corripiendi detractorem, aut damno infamati obviandi. (n. 979.) — Num peccet etiam contra iustitiam, mox infra indagabitur qu. 1.

IV. *QUISQUIS audit detractionem sine resistentia cum resistere commode posset, fit particeps peccati detractoris.* Ratio est, quia videtur ei consentire, et charitas vetat eum ne sinat detrimentum famae alterius. Quantum autem sit hoc peccatum in persona privata, infra expendetur qu. 2.

Auditor ergo debet detractorem redarguere quod peccet detrahendo, vel saltem ostendere quod sibi detracatio displiceat. (n. 979. S. Thom. 2. 2. qu. 73. a. 4.)

1019. — Quaestiones. QUAER. 1º *An Superior peccet contra iustitiam, si non avertat detractionem.*

Resp. Plures affirmant, sed diverso modo. Alii nempe affirmant de solo Superiore infamati; quia tenetur impedire damnum subditi sui. Alii de Superiore utriusque; quia tenetur obstare ne subditus alteri noceat, et ne subdito noceatur.

Sententia vero probabilior negat; non quidem Superior detractoris, quia non tenetur bono subditi alieni invigilare; nec etiam Superior infamati, quia ipsi non incumbit ex iustitia famae subditi attendere. — Excipe: 1º Si Superior detractoris est Episcopus vel Parochus, quippe qui teneatur ex iustitia subditos corripere; 2º si est Superior utriusque, et infamatus implorat eius auctoritatem ut fama ei restituatur; tunc ille ex iustitia ad id tenetur, modo possit sine timore gravioris mali. (n. 980. H. A. n. 17.)

QUAER. 2º *An persona privata peccet graviter, si gravem detractionem, cum commode potest, non avertat.*

Resp. Plures affirmant; quia ex pracepto charitatis, specialiter ex pracepto correptionis fraternae, tenemur damnum et peccatum proximi impedire, cum commode possumus. — Haec sententia, per se loquendo vera est.

At, quia huius sententiae Auctores tot limitationes ei apponunt, ut in praxi non discrepet a sententia negativa, rationabiliter sustineri potest communis sententia audientes universe excusans a mortali, si correptionem omittant; dummodo tamen praeter infamiam aliud damnum ex detractione non accedat. Ratio, quia in hac materia detractionis difficillime constare potest correptionem profuturam, et aliunde facillime offenduntur detractores coram aliis correpti, ex quo periculum ne detractionem potius augeant vel confirmant.

Caeterum, omnes excusant, etiam a veniali, eos qui, advertentes detractio-
nem in re gravi, displicantiam ostendunt, recedendo, sermonem ad alia diver-
tendo, faciem tristem aut seriam exhibendo, iuxta Prov. xxv. 23: «Dissipat
facies tristis linguam detrahentem.» Ista namque actiones sunt verae corre-
ptiones.

Advertendum insuper, quod saepe, incopta semel detractione, melius con-
sulatur proximo permittendo detractionem progredi, quam illam statim impe-
diendo; remanent enim auditores cum illa notitia confusa de gravitate rei, quae
narrari coepit erat, et fortasse concipiunt generatim aliquid gravius, quam si
rem totam distincte audivissent. (n. 981. H. A. n. 17.)

§ IV. - RESTITUTIO FAMAE.

1020. — Obligatio restitutionis. Detractor tenetur restituere tum fa-
mam iniuste laesam tum alia damna in bonis fortunae proximo ex detrac-
tione subsecuta, et saltem confuse praevisa. Ratio est, quia horum omnium
est causa efficax et iniusta. (n. 991. 996.)

Dictum est: *famam INIUSTE laesam*: quia ex peccato contra solam charitatem non
nascitur obligatio restitutionis, ut diximus n. 743.

Obligatio restituendi famam, cum sit pure *personalis*, non transit ad haeredes: obligatio
autem compensandi damna in bonis fortunae cum sit *realis*, transit ad haeredes. (n. 996.)

1021. — Modus restituendi. Detractor si *calumniam* imposuit, tenetur
aperte retractare quod dixerat, cum aequali vel etiam paulo maiori damno
proprio. Ratio est, quia potior est conditio innocentis quam nocentis, et
damnum iniuste illatum resarcendum est omni modo moraliter possibili.

Si *verum* crimen propalavit, tenetur omnia media adhibere, quae utilia
putantur, ad abolendam opinionem quam genuit. (n. 991. Lugo *disp.* 15.
n. 24. 29.)

1022. — Ambitus restitutionis. Detractor tenetur *certo* restituere famam
apud omnes coram quibus detraxit. Ratio est, quia alioquin fama non suffi-
cienter repararetur.

Confessarius nitatur ut huiusmodi famae compensationes, cum commode
fieri possunt, ante absolutionem fiant; quia postea difficulter adimplebuntur;
licet caeteroquin hae minus difficultatis habeant, quam pecuniae restitutio.
(H. A. n. 18. *Prax. Conf.* n. 45.)

1023. — Quaestiones. I. De obligatione restituendi. QUAER. 1º *Si quis sine
formati iniustitia famam laeserit, an sit obligatio gravis reparandi damnum illatum.*

Resp. Affirm., si sine gravi incommodo id facere possit, pari modo quo in-
cendens alterius domum sine culpa tenetur ex iustitia ignem extinguere;
etenim iustitia non solum obligat ad damnum proximo non inferendum, sed
etiam ad procurandum ne ex actione sua damnum sequatur. Haec tamen se-

cunda obligatio non est tam stricta, quam prima, et ideo solum obligat ad id procurandum quando sine gravi incommodo fieri potest. — Quod si eiusmodi detractor, errore cognito, fuerit in mora graviter culpabili restituendi famam, ex eo tempore tenebitur damna omnia quae subsequentur, resarcire; quia oriuntur iam ex iniusta laesione sua, cum ex iustitia debuisse infamiam delere. (n. 993. 994.)

Idem dicendum, si quis cum culpa solum veniali infamaverit graviter. (Lugo. loc. cit. n. 7.)

QUAER. 2º *An auditor non impediens detractionem teneatur ad restitutionem.*

Resp. Tenetur, si fuerit causa detractionis, vel si qua Superior debuissest ex iustitia detractionem impedire, iuxta dicta n. 1018 et 1019. *qu.* 1. Quo ordine restituere teneantur cooperatores, exposuimus n. 793 et 794. (Lugo. loc. cit. n. 10. 11.)

1024. — II. De modo restituendi. **QUAER.** 1º *Quinam modi censeantur apti ut fama restituatur ab eo, qui verum crimen propalavit.*

Resp. Plures sunt, videlicet: 1º Aequivocando, v. g. se male locutum fuisse, iniuste diffamassee, falsum dixisse, errasse, deceptum vel mentitum fuisse; nam, ut S. Thomas 1. *qu.* 17. *a.* 1. ait: «Ipsa peccata falsitates et mendacia dicuntur in Scripturis.» Item, dicendo se ex proprio capite dicta eruisse; quia omnia verba ex mente, pro qua caput accipitur, proveniunt.

2º Quando praefatus modus nocet potius quam prodest, ut facile contingit apud intelligentes et argutos, tunc melius est indirecte, data occasione, laesum serio et pluries laudare vel honorare; caute tamen, ne fieri videatur pro restituzione. (n. 992. H. A. n. 18.)

3º Qui *libellum famosum* ad infamiam alicuius publicavit, tenetur, ut efficax sit restitutio, eam facere contrariis scriptis vel publica revocatione. (n. 995.)

4º Detractor non tenetur ad veniae petitionem, si famam reparare nequeat; quia per veniae petitionem fama perdita non restituitur, non magis quam bona fortunae laesa.

QUAER. 2º *Si fama restitui non possit, an beat pecunia compensari.*

Resp. *Controv.* 1ª Sententia probabilis affirmat: quia fama est pretio aestimabilis, ideo debet compensari pecunia, si aliter resarciri nequeat.

2ª Sententia communior et probabili negat; quia iustitia tantum obligat ad reddendum ablatum, vel aequivalens; sed pecunia non est ablata, neque aequivalet famae, cum haec sit alterius ordinis. Docent tamen communiter DD. quodsi infamator est dives, et infamatus pauper, aequum esse ut compenset famam aliqua pecunia, si alter libenter acceptet illam. Recole dicta n. 744. (n. 1000.)

QUAER. 3º *An infamatus, si alter famam sibi restituere nolit vel nequeat, possit se compensare pecunia illius.*

Resp. Alii negant; quia nequit fieri compensatio cum sola opinione probabili. Alii affirmant, dicentes regulam illam valere, quando ipsum debitum est dubium; non vero quando debitum est certum, et dubium tantum versatur circa modum satisfactionis, nam tunc licet uti opinione probabili, utpote probabili de iure.

S. Alf. adhaeret primae sententiae; quia, cum infamatus sit creditor in materia famae, non autem pecuniae, debitum *pecuniae* praestandae est omnino in-

certum; proinde infamatus sese compensaret ob creditum vere dubium. (n. 1001. H. A. n. 21.)

1025. — III. De ambitu obligationis. QUAER. *An detractor debeat famam restituere, non solum apud auditores suos, sed etiam apud alios, quibus primi auditores postea rem narrarunt.*

Resp. dist. Si detraherit apud auditores quos putabat secretum servatuos, non tenetur restituere apud auditores *mediatos*; quia non praevidit illud damnum, et, si eveniat, per accidens evenit. Secus, si praeviderit alios facile rem evulgaturos esse; nam tunc, nisi hi apud auditores suos se retractent, primus diffamator tenetur id facere; quia causa est *totius* damni famae.

Complures probabile esse censem quod sufficiat restitutionem facere apud auditores *immediatos*: 1º quia detractor non fuit causa efficax ulterioris divulgationis, sed occasio tantum per pravum exemplum; 2º quia restitutio apud *omnes* mediatos saepe est moraliter impossibilis; 3º quia per retractationem coram *immediatis* iam intimatur hisce obligatio se retractandi apud alios.

S. Alfonso verius videtur retractationem apud mediatos faciendam esse *quoad moraliter fieri potest*: ob rationem supra datam. (n. 991.) Recole tamen monitum practicum relatum n. 792.

§ V. - CAUSAE EXCUSANTES A RESTITUTIONE FAMAE.

1026. — Recenseri consueverunt quae sequuntur: 1º Si reipsa nulla est infamia secuta eo quod auditores non crediderint, ut saepe accidit, maxime quando detractor loquitur ex ira aliave passione, et detractio testimoniis aliorum aut aliter non firmatur. Porro, ad restitutionem famae requiritur moralis certitudo quod detractor fidem obtinuerit apud auditores; nam ex regula generali nullum damnum dubium est de necessitate restituendum, prout diximus n. 768.

2º Si fama iam alia via recuperata est, vel infamia per oblivionem cessavit.

3º Si delictum occultum, quod detractor aliquibus revelavit, alia via factum est publicum.

4º Si infamatus remittit obligationem restituendi, modo remittere possit. Sufficit porro condonatio sive expressa sive tacita, imo etiam rationabiliter praesumpta. Condonare autem non potest, quando ex eius infamia sequitur scandalum aut detrimentum aliorum, v. g. si agatur de infamia Sacerdotis, Religiosi, Magistratus, patrisfamilias, etc.

5º Si restitutio est moraliter impossibilis; quando scilicet fieri non potest sine longe maiori damno, quam sit illud quod patitur infamatus. (n. 997. 998. 1002. 1003. H. A. n. 19.)

Praefatae causae hisce versiculis continentur:

Impos, publicitas, oblivio, cessio, fama

Si reparata fuit, si data nulla fides.

1027. — *Quaestiones. QUAER.* 1º *Quid agendum, si DUBIUM sit an infamatio fuerit oblivioni data.*

Resp. Magna prudentia opus est; tentando enim restituere forte refricabitur memoria peccati prorsus oblitii, et sic magis nocebitur. Unde ad omittendam restitutionem sufficit quod *oblivio probabilis sit*. Praeterea crimen praesumendum est oblitum, si per multum tempus nulla de illo mentio facta fuerit. Ad haec advertendum cum Lugo, retractationem per se infamiam afferre retractanti; unde quando dubitatur de *oblivione infamacionis*, non videtur quis teneri damnum *certum* pati, ad reparandum *damnum incertum proximi*; nisi in aliquo casu solum *periculum infamiae alterius* praeponendum esset *certae infamiae* vel *damno detractoris*. (*n. 998.*)

QUAER. 2º *An obligatio restituendi famam cessare possit per COMPENSATIONEM.*

Resp. Dist. 1º Non licet infamiam infamia compensare, v. g. si quis te infamavit, tu vicissim non potes illum infamare; quia non esset compensatio sed vindicta, cum fama tua non reparetur per infamiam alterius.

2º Si duo mutuo iniuste se infamaverint, et unus velit famam restituere, tenetur et alter famam ablatam restituere.

Quodsi hic restituere nolit, num possit alter compensatione uti, restitutionem similiter omittendo nonnulli negant; quia illa omissio non reparat damnum acceptum, et ideo non est compensatio. Sententia vero communior et probabilior affirmat; quia tunc compensatio non fit per reparationem proprii damni, sed per retentionem debiti, ex regula generali, videlicet: si unus renuat alteri ius suum servare, hic alter alteri non tenetur servare suum. (*n. 999. H. A. n. 19.*)

Articulus II.

Susurratio.

1028. — *Notio.* Detractioni affinis est susurratio, quae definitur: *Oblocutio mala de proximo ad tollendam amicitiam eius cum alio.*

Susurro ergo et detractor conveniunt in materia; quia uterque malum de proximo dicit; differunt autem in fine; quia detractor intendit denigrare famam proximi, unde illa mala de proximo praecipue profert, ex quibus proximus infamari possit, vel saltem eius fama diminui; susurro autem intendit amicitiam dissolvere, et ideo talia mala profert de proximo, quae possunt contra ipsum commovere animum audientis. (*S. Thom. 2. 2. qu. 74. a. 1.*)

1029. — *Principia.* I. *Susurratio est ex genere suo peccatum MORTALE contra iustitiam.* Ratio est, quia aufert bonum amicitiae et pacis, quod maximum bonum est, et merito pluris aestimari solet quam bona fortunae. Propterea dicitur in Eccli. xxviii. 15: «Susurro et bilinguis maledictus; multos enim turbabit pacem habentes; » et ad Rom. i. 29. 30: «Susurrones, detractores, Deo odibiles. » (*Lib. 5. n. 72. S. Thom. loc. cit. art. 2.*)

II. *Susurratio, quando fit detrahendo famae proximi, vel iniuste revelando quod secretum est, non minus obligat ad RESTITUTIONEM et reparationem, quantum fieri poterit, quam damnificatio in aliis bonorum generibus.* (*Lib. 5. n. 72. Lugo. disp. 14. n. 40. 42.*)

Praemissa intelliguntur de amicitia in bono fundata; dissolvere namque perniciosa amicitiam non est susuratio, sed opus charitatis.

1030. — *Quaeritur hoc loco, an cuiquam liceat sine infamacione, solvere amicitiam alicuius, narrando eius defectus naturales, aut similes, eo consilio ut ipse succedat loco expulsi.*

Resp. Controv. Alii affirmant; quia licet sine vi vel fraude procurare sibi bonum gratuitum alicuius, cum exclusione alterius. At probabilius negant alii; quia DD. communiter docent propalationem defectuum naturalium esse peccatum grave, si inde impediretur alius a consequendo vel conservando magno bono. Cum igitur huiusmodi propalatio per se sit iniusta, fraudulenter expellitur alter ab amicitia acquisita. (*Lib. 5. n. 72.*)

Articulus III.

Iudicium temerarium.

Postquam explicuimus iniurias externas contra famam, dicendum nunc est de internis.

1031. — *Notio et divisio.* Iudicium temerarium est, quo sine sufficienti fundamento malum de proximo iudicamus. Est: 1º iudicium proprie dictum seu *perfectum*, quando fit cum firmo assensu sine seria formidine oppositi; secus erit improprie dictum seu *imperfectum* et vocatur: 2º *Dubitatio*, quando quis circa malum proximi suspendit assensum: 3º *Suspicio*, quando ad credendum illud inclinatur, sine tamen vero assensu: 4º *Opinio*, quando assentit, sed infirme, cum formidine nempe de opposito. Hi omnes gradus sicut se ordine superant, sic maiora exigunt fundamenta, ut temerarii non sint, et consequenter culpa careant. Hinc iudicium exposcit motiva moraliter certa, certitudine stricte dicta; opinio, suspicio et dubitatio exposcent motiva probabilia, idque eo gradu qui diversis earum notionibus correspondet, iuxta dicta supra n. 77 et 79.

1032. — *Principia. I. IUDICIUM temerarium perfectum et simul plene deliberatum de GRAVI malo proximi, est peccatum MORTALE contra iustitiam.* Constat ex verbis Christi apud Luc. vi. 37: « Nolite iudicare et non iudicabimini: nolite condemnare, et non condemnabimini. » Ratio est, quia gravis iniuria irrogatur proximo, cum sine sufficienti causa habetur improbus, sicque perperam contemnitur.

Itaque ad peccatum mortale committendum, iudicium debet esse: 1º firmum, seu citra dubium; 2º plene deliberatum; 3º de re graviter infamante personam determinatam et cognitam; 4º innixum insufficienti fundamento, seu sine morali de re certitudine. Verumtamen, iudicium non erit vere temerarium, si indicia magnam habent probabilitatem, etsi non omnino sufficiant ad certitudinem;

quia moralis certitudo et magna probabilitas parum distant, et ideo gravis non censetur iniuria iudicare certum, quod est valde probabile, v. g. si iuvenem invenias solum cum puella in cubiculo, et inde iudices illos tractare turpiæ. (n. 962. H. A. n. 1.)

II. DUBITATIO, SUSPICIO et OPINIO temeraria regulariter sunt peccata tantum VENIALIA. Ratio est imperfectio actus, quam habent, et minor iniuria, quam continent, cum bonam existimationem non tollant, sed minuant dumtaxat.

Verumtamen, propter enormitatem rei, quam quis suspicatur, potest esse peccatum grave, ut si de pio et religioso homine sine fundamento suspiceris eum esse haereticum, sodomitam, vel quid simile. Ita probabilius. Ratio, quia forte maior iniuria iis personis irrogatur talia suspicando, quam certum iudicium ferendo de peccato ordinario. (n. 963. 964. H. A. n. 1.)

1033. — Resolutiones. 1º Iudicia plerumque excusantur a mortali; sive quia fundamentum iudicatur sufficiens, sive quia non sunt iudicia, sed suspicções tantum, sive quia non plene advertitur ea esse temeraria, sive quia malum non est grave. (n. 962. H. A. n. 1.)

2º Non peccat lethaliter, qui temere iudicat de homine indeterminato inter plures, dummodo tamen crimen in determinatae Communitatis dedecus non redundet. Similiter, si de aliquo homine incognito temere quis iudicet. (n. 962. Lugo. disp. 14. n. 26.)

3º Num sit iudicium temerarium credere malum, quod auditur ab uno teste, pendet a circumstantiis personae testificantis, et illius, contra quam testificatur, etc.; si enim persona faciat rem moraliter certam, non erit temerarium eam firmiter credere; si faciat rem probabilem, non erit temerarium eam suspicari, vel de ea dubitare. (Lugo. n. 29.)

4º Quando utrimque suppetunt motiva probabilia, debemus vel suspendere assensum, vel proximum iudicare bonum; quia in dubio nemo est condemnandus, neque debemus inclinare magis in eam partem, quae est contra proximum, sed potius eum tueri in bona existimatione, quam apud nos habet. (Lugo. n. 21.) Unde Regula Iuris antiqui 2: «Facta, quae dubium est quo animo fiant, in meliorem partem interpretetur.» Quocirca sapienter advertit D. Thomas, melius esse frequenter falli habendo bonam opinionem de homine malo, quam rarius falli habendo malam opinionem de homine bono; quia ex hoc fit iniuria alicui, non autem ex primo. (2. 2. qu. 60. a. 4. ad 1.)

5º Domini patresfamilias, aliique Superiores, aliquando tenentur habere suspicções ut aliquod peccatum impediāt; v. g. ne famuli furentur, ne filiae peccent cum viris versando, et id genus alia. Cavendum tamen ne huiusmodi suspicções sine necessitate cum aliis communicent. (H. A. n. 2.)

6º Fas est, imo prudens, sibi rebusque suis cavere, v. g. pecunias occludere, quia fieri potest ut famuli vel hospites fures sint, et similia; quamvis enim nefas sit positive iudicare vel dubitare hunc vel illum revera esse vitiosum, solummodo tamen supponere aliquem posse talem esse, utique verum est, et nulli iniuriosum; aliquando enim inter homines fures sunt, qui probi videntur. (Spor. tr. 5. cap. 4. n. 36.)

NOTA. 1º Etsi suspiciones mali vitare non possumus, quia homines sumus; iudicia tamen continere debemus. (S. Thom. 2. 2. *qu. 60. a. 3.*)

2º Iudicia et suspiciones saepe proveniunt ex perversitate affectus, nimirum: *a)* ex conscientia propriae malitia, unde facile aliquis de aliis malum opinatur, secundum illud Eccl. x. 3: «In via stultus ambulans, cum ipse sit insipiens, omnes stultos aestimat.» *b)* Ex malo affectu ad alterum; cum enim aliquis contemnit vel odit aliquem, aut irascitur vel invidet ei, ex levibus signis opinatur mala de ipso; quia unusquisque facile credit quod appetit. (S. Thom. *loc. cit.*)

CAPUT IV.

LAESIO HONORIS SEU CONTUMELIA

1034. — **Notio.** Contumelia est iniusta inhonoratio personae praesentis. Potest aliquando fieri absenti, puta in imagine, vel in ministro, quo representatur. Potest etiam honor laedi non solum verbis, sed etiam factis, v. g. alapa. Laedi porro solet convicio, improperio, irrisione, subsannatione, maledictione, et similibus. Differt autem a laesione famae, quatenus ut sic non laedit communem existimationem de vita et moribus alicuius in qua fama consistit, sed externam testificationem de honestate alicuius, in qua honor invenitur.

1035. — **Moralitas.** Contumelia ex genere suo est peccatum mortale contra iustitiam. Constat ex verbis Christi apud Matth. v. 22. «Qui dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehennae ignis.» Ratio autem est, quia affert grave nocumentum in bono magni ponderis, et quod pluris aestimatur quam opes.

Potest esse culpa venialis ex inadvertentia, vel ex levitate convicii, attenta conditione personae, familiaritate, aliisque circumstantiis. — Aliquando omni culpa vacant verba contumeliosa, prout recte advertit S. Thomas: ¹⁾ «Sicut licitum est aliquem verberare causa disciplinae (puta patri, praelato, domino, aut magistro), ita etiam causa disciplinae potest aliquis alteri, quem debet corrigere, verbum aliquod conviciosum dicere.» (*n. 966.*)

1036. — **Obligatio satisfactionis.** Contumelia inducit obligationem restituendi honorem, aliaque damna ex contumelia subsecuta, et saltem confuse praevisa, secundum dicta de restitutione famae. Satisfactio praestanda est per exhibitionem honoris, quantum censeatur sufficiens iuxta conditionem personae offensae, offensoris, et iniuriae quantitatem. (*n. 986.*)

¹⁾ 2. *qu. 72. art. 2. ad 2.*

Cessat obligatio satisfaciendi: 1º per remissionem offensi, expressam vel tacitam aut rationabiliter praesumptam; 2º per vindictam sumptam ab offenso, si hic v. g. contumeliam reddiderit; quia tunc censetur ipsem et sibi satisfecisse; 3º per poenam offensori inflictam; quia haec videtur satis honorem resarcire. (n. 988-990. H. A. n. 4.)

NOTA. Omnes tenentur contumelias tolerare, animum vindictae abiiciendo. Quandoque tamen expediet contumelias repellere, nempe: 1º ut offenso in auctoritate reprimatur, et alia rursus non attentet; 2º cum praevideatur fore ut tolerantia adscribatur obsistendi impotentiae, aut stultitiae; vel 3º si tolerantia obesse possit bono communi, prout si Praelatus tolerando redderetur contemptibilis, et sic petulantia subditorum augeretur. (n. 966.)

1037. — Resolutiones. 1º Honor *publice* ablatus per contumeliam, *publice* quoque restitui debet coram illis, qui praesentes fuerant, vel saltem eo modo, quo satisfactio ad ipsorum notitiam facile pervenire possit. Sufficit autem quod satisfactio fiat per aliam personam, quae nomine offensoris veniam petat. (n. 984.)

2º Debetur pariter satisfactio pro contumelia *occulta*; quia in omni contumelia adest damnum honoris iniuste laesi, cum quisque ius habeat ut debitum honor ei servetur: honor autem offensi remanet laesus, usquedum per debitam satisfactionem reparetur. Reparatio tamen *occulte* fieri potest. (n. 985.)

3º Modi convenientes satisfaciendi sunt veniae petitio, vel specialia signa honoris et benevolentiae.

Unde: a) si offensor est Superior, sufficit quod dehonoratum honorabiliter salutet, domi invisat, vel invitet, benevolentiam ostendat. Numquam tenetur Praelatus veniam petere a subdito, neque vir ab uxore, herus a famulo, nobilis a plebeo: « Ne, ut S. Augustinus in *Regula* dicit de Superioribus, dum nimia servatur humilitas, regendi frangatur auctoritas. »¹⁾ b) Inter aequales modus quidem aptior est petitio veniae, attamen non est necessaria, nisi aliter satisficeri nequeat: ordinarie sufficit inhonoratum praevenire salutatione, illi locum cedere, illum ad mensam invitare, propinari illi in convivio. c) Si inferior Superiorem inhonoravit, petitio veniae plerumque necessaria est; imo, quando contumelia gravissima est, cum humili submissione ac doloris signis exhibita. (n. 986. 987).

1038. — Nota pro praxi. Multoties expedit ut Confessarius poenitentem in bona fide exsistentem omittat monere de satisfactione praestanda, nimisrum: a) si praevideat monitionem non profuturam, imo potius obfuturam esse; nam experientia constat poenitentes facile tales satisfactiones promittere, sed difficulter adimplere, ob ruborem, quem postea sentiunt vel apprehendunt. b) Si probabiliter putet inhonoratum nolle potius quam cupere veniae petitionem, ne memoria iniuriae acceptae apud alios redeat, aut ne ipse rubore magis afficiatur; tunc offensus alio modo peculiariter honorandus est. c) Idem dicendum, si probabile periculum sit ne in actu talis satisfactionis odia inter offensum et offensorem renoventur. d) Si ex signis manifeste appareat remissio facta ab offenso, nempe si hic sponte ad offensorem accedat atque valde familiariter et blande cum eo conversetur, et similia. Secus tamen, si civilitate uteretur ad evitandum probrum vel aliud damnum. (n. 988.)

¹⁾ Cfr. Migne P. I. tom. 33. col. 964.

